

DE MANILIO ET TIBERIO CAESARE

Si vera est quam de Manilii codicibus recte aestimandis protulerunt novam sententiam Fr. Vollmer *Hebdom. philol. Berol.* XXIV (1904) col. 103 ss. et P. Thielscher *Philol.* LXVI (1907) p. 85 ss. nec non L. Traube apud Thielscherum p. 122, dignissima est quae retractetur quaestio de aetate Manilii et de Caesare, ad quem Manilius carmen suum miserit. ea enim quaestio apta pendet tota a locis quibusdam operis Maniliani probe intellectis, quibus tamen locis codices Maniliani secum pugnant. etiamsi vero omnem condicionem memoriae Manilianae quae diem tulit, rationesve omnes inter singulos codices Manilianos intercedentes in apicum proferre ne nunc quidem contigerit, tamen hoc, duces fidelissimum in Manilio restituendo esse codicem Matritensem, librum Poggii nomine nobilem, certum videtur effectum esse ex curis recentissimis memoriae Manilii pernoscentiae dicatis. quem codicem Poggianum et Scaligero et Bentleio, editoribus summis Manilii ignotum remansisse, facile tibi persuaseris infortunio magno fuisse poetae emendando. illos autem editores Manilii, qui nuperrime eum foras dederunt M. Bechert in *Corp. Poet. Lat. Postgateo Lond.* 1900 fasc. III p. 6 ss. et Th. Breiter *Lips.* 1907, lectiones libri Poggiani iusto plus sprevisse, equidem non despero probari posse cum aliis locis plurimis, tum iis, qui ad aetatem Manilii definiendam spectant et ad Caesarem nuncupandum a poeta celebratum. hosce igitur locos deinceps pertractare in animo est.

I

versus 4, 773 ss. primum percenseo utpote quibus apertissimum videatur prodi, quocum Caesare Manilio res fuerit, codicibus varie traditos:

*Hesperiam sua Libra tenet, qua condita Roma
orbis et imperium¹ retinet, discrimina rerum,
775 lancibus et positas² gentes tollitque premitque,
qua genitus Caesarque meus nunc possidet orbem³
et propriis frenat pendentem nutibus orbem.*

¹ imperium M(atritensis) L(ipsiensis) V(ossianus): imperia G(emblacensis) ² positas MLV: positis G ³ sic M: qua genitus Caesarque meus nunc condidit orbem V: qua genitus . . meus nunc condidit orbem L¹: qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem G

his versibus Manilius quo iure Romam conditam cum Libra consociarit, nemo anxie quaeret, modo memor futurus sit Ciceronis de natali die urbis disserentis De divin. 2, 98 L. *quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostrae natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque in iugo cum esset luna natam esse dicebat, nec eius fata canere dubitabat.* verum magno cum stupore legi debent quae unus codex G tradit de Remo et Romulo thema idem cum urbe habentibus v. 776 *qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.* nimirum eundem Tarutium quem de genitura urbis egisse Cicero testis est, etiam Romuli genituram tractasse Plutarchus Rom. 12 refert. quamvis autem multus sit Plutarchus in narrandis somniis Tarutii mathematicis, tamen compar thema conditori urbis cum urbe ipsa fuisse non curat indicare. corrui igitur quam codex G Manilio impertit doctrina de Romulo Librae tutela uso veterum scriptori diserte probata nulli. nec deest praeter astrologiam aliud argumentum gravissimum, quo G versum 776 interpolatione foedatum offerre intellegitur. nempe etiamsi tibi tolerabile videatur Remum pro Romulo quasi primarium urbis conditorem vocari, tamen nullo pacto accipi poterit, nec tulit editor ullus, sequentem versum 777 *et propriis frenat pendentem nutibus orbem* insuper addi ad laudes Remi. explorato igitur quam misere turbetur oratio lectione *cum fratre Remus*, id sane premendum, in codice L a G proxime distante, quin a P. Thielschero quidem (Philol. LXVI p. 110) pro fonte unico libri G habito, *meus* legi pro *Remus*, ante *meus* lacunam biare. inde medio aevo scriptio libri G exorta videtur, putaveris consutam ex flosculis Vergilianis Georg. 2, 533 *hanc Remus et frater*, Aen. 1, 292 *Remo cum fratre Quirinus*.

refugiendum est a codice Gemblacensi ad librum post Scaligerum et Bentleium nova subsidia Manilio recensendo allaturum

Poggii recens resectum. verum ne Poggianus quidem codex versu *qua genitus Caesarque meus nunc possidet orbem* ab omni offensione vacat aut lectionem tutam ab ambiguitate quavis offert. quamquam in eo praesertim haereo quo nemo alius antea, cum scrupulos nullos mihi inician quae iniecerunt plerisque qui ad locum accesserunt priores. proximum autem est, ut verbum fiat de particula *que* tertio loco posita ut hoc versu in M, ita in omnibus libris 1, 847 *praecipites stellae passimque volare videntur*, et fortasse etiam 1, 270. qua de liberiore positura coniunctionis *que* Manilio aut abnegantes aut tribuentes multi egerunt, A. Cramer 'De Manilii qui dicitur elocutione' (Diss. Argent. 1882) p. 34, Ed. Tappertz 'De coniunctionum usu apud Manilium quaestiones selectae' (Diss. Monast. 1892) p. 9, A. E. Housman ed. Man. I (Lond. 1903) p. 75, H. Kleinguenther 'Quaestiones ad Astro-nomicon libros' . . . (Diss. Jen. 1905) p. 24 et 'Textkritische . . . Beiträge' . . . (Lips. 1907) p. 14 ss. quas disputationes obiter indico, unum monere magni aestimo, id quod fugit studiosos Manilii omnes, persecutos esse etiam F. Leonem Nunt. Gotting. 1895 p. 429, 3 et Ed. Norden Comment. in Verg. Aen. VI p. 395 particulam *que* tertio vocabulo adnexam apud poetas Augusteos; cuius usus Vergilianum egregium est exemplum Aen. 6, 818 *ultoris Bruti fascesque videre receptos*. sententia igitur a versu 773 exorsa enuntiati relativi bimembris partibus ambabus *qua condita Roma . . . et qua genitus Caesarque . . .* in M per *que* bene iunctis procedit. atque sensus horum versuum recensione M v. 776 accepta praeclarus deprehenditur. tene animo interrogasse Manilium colore oratorio sermoni infuso v. 769 ss. *quod potius colat Italiam, si seligis astrum, quam quod cuncta regit, quod rerum pondera novit, designat summas et iniquum separat aequo?* sollertis poetae fuit et eius qui miserit carmen suum Caesari, ad haec respondentis non modo Romae memorem esse, Italiae capitis nati *in iugo cum esset luna*, verum etiam, si modo Caesar tunc temporis princeps dominusque terrarum fuit Libra genitus, Caesaris mentionem inicere quasi asserentis Italiam in tutelam sui sideris. in id igitur potissimum de praestantia libri M dubitantibus inquirendum est, num principis genituram ad Libram referre licuerit Manilio. non autem licuit ei Octaviani genituram ad Libram revocare. nam nil hoc loco nobis est cum Suetonii testimonio ut historico potius quam astrologico Aug. 5 *natus est Augustus M. Tullio Cicerone C. Antonio cons. VIII kal. Octob.*; neque omnino videndum quo mense Octavianus natus sit, nedum cum

M. Becherto 'De M. Manilio Astron. poeta' (Lips. 1891) p. 17 merito irriso ab A. E. Housmano ed. Man. I praef. p. LXXI conceptus quando sit Octavianus curare fas sit. quo mense voluerint mathematici boni Augustum natum esse refert scire, non quo natus sit reapse. atque de illa re nullus dissensus inter veteres; nimirum de hora Octaviani facilius convenit inter mathematicos quam inter historicos. Capricornum divi Augusti astrum fuisse testes disertis sunt cum Germanicus Phaen. 558 ss., tum Suetonius Aug. 94 *Augustum natum mense decimo . . . ibid. quo natus est die . . . nota ac vulgata res est P. Nigidium . . . ut horam quoque partus acceperit, affirmasse dominum terrarum orbi natum . . . ibid. tantam mox fiduciam fati Augustus habuit ut thema suum vulgaverit nummumque argenteum nota sideris Capricorni quo natus est, percusserit.* praeterea gemma Augustea Vindobonae asservata nobilissima non pote luculentius quam ostendit quod astrum sibi elegerit divus Augustus (cf. A. Baumeister Monum. ant. p. 1708). denique Manilius ipse a reliquis mathematicis stat 2, 507 ss. *contra Capricornus in ipsum convertit visus; quid enim mirabitur ille maius, in Augusti felix cum fulserit ortum?* absurdum igitur est credere spreto themate Augusti vulgato ab eo ipso Manilium uspiam de Augusto Libra genito verba fecisse. inde v. 776 aut fides deneganda est codici M testanti ex genitura principis deduxisse Librae vim in Italiam poetam, aut post divum Augustum alter Augustus Libram genitale astrum habuit. nec vero virtutis suae M spem fefellit. quamvis editores Manilii dissimulaverint M. Bechert et Th. Breiter, notum est eadem ratione qua Octavianum nota Capricorni percussisse nummum nota Librae Tiberium Caesarem (cf. W. v. Voigt, Philol. LVIII 1899 p. 175).

ideo autem versum libri M 4, 776 indicem praeclarum Astronomicum ad Tiberium missorum post alios fusius tracto, quia ne illi quidem, qui merito negabant ad Augustum versum spectare, nec tamen spurium ut reliqui de eo agentes ducebant B. Freier 'De M. Manilii quae feruntur Astronomicum aetate' (Diss. Gotting. 1880) p. 79 ss. et Housman ed. Man. I praef. p. XXIX s. et LXX ss. in modum probabilem eum constituerunt. quorum Housman quibus rationibus coniecturam *melius pro que meus* temere arreptam commendaverit, mitto persequi. Freier autem ante M inventum locum aggressus pro M codice V usus est, propinquo illo quidem codici M, sed contaminato ex L G (cf. P. Thielscher l. l. p. 118). unde pro *possidet* libri M quandoquidem codex V *condidit* cum L G exhibet, licuit Freiero versum 776 addere ad

alios versus ab eo sic enarratos, ut Germanicum Caesarem Manilii socium ac factorem fuisse probaret. sed *possidet* pro *condidit* reposito de Germanico non iam deliberari potest, et insuper hodie constat de Tiberio Libra genito. ipse autem quomodo versus constitutum velim librum M presse secutus accipe. et me quidem maxime offendit quamvis totum probantem libri M memoriam summam, Manilius de Tiberio locutus dictione quae est *Caesar . . . meus*, nimis familiare quiddam et come quippe quae sapiat. nusquam apud Manilium aut scriptores dicendi genere simili usos Caesaris mentione interposita huic nomini pronomen possessivum apponitur adorandi gratia aut adulandi. apud Ciceronem cum amicis sermocinantem *Cotta meus* (Nat. deor. 1, 47), talia trita. sed eorum qui Caesaribus libros dedicaverunt scriptores aut poetae, cum eis nomen Caesaris venerat in buccam, nullus non adaptabat loquelam maiestati sacri nominis. lubet oculis perlustrare, quomodo in scriptis huiusmodi, ubicumque Caesar invocatur, nomen non nisi nude ponatur aut cognomine tantummodo adiecto: Vitruv. 1 praef. 1 *cum divina tua mens et numen, imperator Caesar*. 4 praef. 1 *itaque, Caesar, primo volumine*. 6 praef. 5. Val. Max. 1 praef. *salus patriae, Caesar, invoco*. Sen. clem. 1, 1, 1. 2, 1, 1. Ov. fast. 1, 3. Vell. 2, 107, 2. at appellatio qualis obvia est Sen. epist. 1, 1 *mi Lucili* familiarem potius sermonem decet. unus Plinius Secundus *Vespasiano Caesari suo* opus misit, idemque solus ut contubernalem castrensem allocutus est Caesarem dictione Nat. hist. praef. 1 *iucundissime imperator*. contra Martialis poeta vel formula epistularis stili sollemni immutata epigrammaton libro VIII titulum praefixit *imperatori Domitiano Caesari Augusto . . . Martialis s.* accedit quod in sententia qua dominum terrarum Tiberium celebraturus esset ostentatione rhetorica, Manilium longissime afuisse credas, ut sibi indulgeret locutionem familiare redolentem. igitur *meus* in M corruptum; medela facillima: *Caesarque deus* scribendum collatis 1, 7 ss. *Caesar . . . deus*. Anthol. 242, 10 *plus fatis possunt Caesaris ora dei*. cf. etiam Martial. 4, 1, 10 similia.

relinquitur, antequam ad alios locos de aetate Manilii certiores nos facturos accedamus, ut etiam huius loci ceterae lectiones variae absolvantur. perperam occurrit v. 776 in MLV *orbem* pro *urbem*, ut identidem permutatae erant in archetypo Maniliano *urbis* vocis formae cum *orbis* (2, 772 *urbes* edd.: *orbes* codd. 4, 903. 5, 739 *urbem* edd.: *orbem* codd.). locutione *possidet urbem et . . . frenat . . . orbem* praelusit Manilius ut similiter etiam 3, 24 s. formulis posthac increbrescentibus Carm. epigr.

1254, 7 *urbem decoravit et orbem*. Anthol. 863, 4 *pater urbis et orbis*. ceterum confer etiam Velleium de Tiberio 2, 100, 1 *sensit terrarum orbis digressum a custodia Neronem urbis*. — porro v. 774 recensio fluctuat, MLV *imperium*, G *imperia*, libris editis fere omnibus *imperio* habentibus. ubi quae MLV Manilio tribuunt, ea eo omni numero digna sunt. verba *discrimina rerum* per appositionem adduntur ad antecedentia *orbis imperium*; cf. 1, 1 ss. *divinas artes et . . . sidera . . .*, *caelestis rationis opus*. 4, 664 s. *anguis habitataque membra veneno et mortis pastu viventia, crimina terrae*. cf. etiam 1, 338. 5, 616 s. — denique v. 775 lectio libri G *positis* postponenda est ei quam MLV praebent *positas*; ablativus *lancibus* pendet a verbo *ponendi* praepositione *in* de more poetarum omissa. — postremo dubito an utile sit, qui est usus particulae *et* sequentibus *que . . . que* v. 775, eius usus exempla dare 1, 146. 2, 2 *et quinquaginta regum regemque patremque*. Ov. trist. 2, 154 *et spem placandi dantque negantque tui*.

II

cum uno loco libri quarti Tiberium Caesarem possidere urbem a Manilio dici tunc cum carmen scriberet ipse perspicuum sit, ratio postulat, ut etiam alios versus, ubi minus pateat quinam Caesar nominetur, velut totius carminis exordium 1, 7 ss. ad Tiberium referamus. quamquam non defuerunt qui sub Octaviano Augusto carmen incohatum esse, sub Tiberio perfectum sibi persuasissent ut F. Jacob ed. (Berol. 1846) praef. p. XVI, A. Kraemer 'De Manilii qui fertur Astronomicis' (Diss. Marp. 1890) p. 63, alii. sed isti quoque senescente admodum Augusto se accinxisse Manilium ad opus condendum non potuerunt non concedere, quandoquidem 1, 899 s. clades Variana commemoratur. verum vero percommode accidit, ut etiam primi libri locus se obviam det quo sobrie constituto enarratoque vel hunc librum post patrem a Tiberio consecratum provenisse evincatur 1, 798 ss.:

. *Venerisque ab origine proles
Iulia descendit caelo caelumque replevit.*

800 *quod regit Augustus socio per signa Tonante
cernit et in coetu Divum magnumque Quirinum¹
altius aetherii quam candet circulus orbis.*

¹ *Quirinum* ML: *Quirini* G

ab hoc loco Lachmannus (cf. Script. m'n. ed. ab I. Vahlen Berol. 1876 II p. 42 ss.) fecerat initium eversurus sententiam Scaligeri de Augustei aevi poeta Manilio. sed Lachmanno interim

multi obstiterunt aut emendatore clamantes egere hunc locum, aut qualis traditus esset, talem referri posse ad Octavianum vivum; nempe versibus aliis 1, 384 ss. et 1, 922 ss. se coactos putabant aetati Augusti carmen ascribere. et illis de versibus nos infra, nunc hi expediendi. nam difficultates quibus obstringuntur hie, ne Lachmannus quidem omnes perspexit, nedum removerit; qui verba *divum magnumque* epithetorum vice fungi ratus est appositorum ad nomen Quirini, duplicem scilicet rationem posteris daturus obloquendi. primum enim supersedit indicare quidnam ad *coetum* suppleret; inde utrum *deorum coetus* an *coetus signorum* intellegendus esset, suo iure haerebat Kraemer l. l. p. 35, *caelo* pro *caetu* tradito temptabat; alii *divum* esse genetivum declaraverunt ut F. Ramorino 'Quo annorum spatio Man. Astr. libros composuerit' (Stud. ital. filol. class. VI 1898 p. 331) et Th. Breiter ed. vol. II p. 32, nova difficultate subinde nata particulae *que* voci *magnum* frustra adnexae. nec non et ideo Lachmanni interpretatio verborum *divum magnumque* pro epithetis habendorum ad *Quirinum* pertinentium vacillat, quia Iulium Caesarem patitur abesse a coetu divorum prognatorum e *gr* *ite* Iulia ficto a Manilio. cum plane incredibile sit Augustum cum Quirino sociari neglecto divo Iulio parente Augusti qui *Ὀὐνναός* Quirini (cf. A. v. Domaszewski, Philol. LXVII 1908 p. 2) et insuper deus cluet in carmine Maniliano 1, 794 et 4, 57, tum nemo fere Lachmanno assensus est antecedentem sententiam *Venerisque ab origine proles Iulia descendit caelo caelumque replevit* ad Iulium Caesarem solum spectare. aliter autem Iulii Caesaris mentionem non posse recuperari conatibus priorum spretis censuit nuper Housman ed. p. 71 nisi libri G lectione *Quirini* arrepta ac pone *Quirini* lacuna unius versus statuta sic fere replenda: *numen et illius quem divi addidit ipse*; cuius structurae versu addito etiam id effecit Housman, ut ad *coetum* genetivus *divum* accederet. sed ab optimis libris recedere utique periculosum; igitur *Quirinum* codicum ML teneo, verba *divum magnumque Quirinum* sic interpretatus, ut Iulium Caesarem commemorari a poeta per nomen *Divi* nude dictum cum F. Iacobo (ed 1846) sentiam. etenim licuit poetis Romanis Vergilianum imitari Aen. 6, 792 *Divi genus*, vox *Divi* per se posita significat Iulium Caesarem etiam Anthol. 423, 3 s. *et tua, Dive, tuo sacrata potentia caelo extremum citra constitit Oceanum*. locutio vero *in coetu* neque genetivo neque attributo ullo exornata eaque omnino praeter morem poetarum latinorum usurpata esse visa (cf. e. g. Cat. 64, 385. 66, 37 *caelesti reddita coetu*. Verg. Aen. 1, 398.

1, 735. 5, 43. Carm. epigr. 767, 6 Paul. Nol. carm. 19, 520 *pios* . . . *coetus* sim.), qua ratione defendi possit, subtilius recognitis opinionibus Manilii de Iuliis in caelum receptis patefactum iri spero.

non igitur contentus Manilius praedicasse in universum prolem Aeneae a caelo profectam in caelum reverti, certos quosdam Iulios segregat ab heroibus galaxiam quidem habitantibus illis (cf. v. 758 ss.) collocandos in altiore sede deorum divorumve. vide v. 803 s. *illa deum sedes, haec illis proxima, divum qui virtute sua similes vestigia tangunt*. quos ad versus adnotandum est nomina *dei* ac *divi* synonymorum instar Manilium adhibere item atque Verg. buc. 4, 15 Hor. ars 83 Grat. 96. altior autem quam galaxias quae fingitur sedes a poeta deorum, hanc hoc loco zodiacum potissimum declaraveris. nam Augustus *socio per signa Tonante* caelum regere dicitur, Iovis vero stella ut erratica in zodiaco cursum explicat. quo iure Manilius orbem signiferum et planetas altiores esse quam orbem lacteum dixerit, vel Pythagorica valent illustrare placita obvia et apud alios (cf. E. Rohde Psyche II³ p. 94, 1. 213, 2) et apud Macrobius Somn. 1, 12, 3 *Pythagoras putat a lacteo circulo deorsum incipere Ditis imperium, quia animae inde lapsae videntur iam a superis recessisse* . . . *ibid. 5 a confinio quo se zodiacus lacteusque contingunt, anima descendens* . . . 1, 17, 7 *zodiacus* . . . *in summo caelo*. deinde aethere quae constant regiones mundi, iis lacteum orbem inesse Manilius diserte dicit v. 761 *aetherios vivunt annos*. 774 *aetheriusque Platon*. 802 *altius aetherii quam candet circulus orbis*. vertit igitur doctrinam physicam de aethere elementorum sphaera quarta distante a caelo summo et extimo, qua de doctrina cf. A. Boericke 'Quaestiones Cleomedae' (Lps. 1905) p. 25, 2 et 58, sic in usum suum, ut sidera lactei orbis, quamvis inerrantia et quae ut talia crederes libera ab coniunctione aetheria (cf. Cic. Nat. deor. 2, 55), aethere contenta infima siderum esse sumpserit. quin inter ipsa meteorologica fieri potest, ut orbem lacteum Manilius his versibus habuerit Aristotelem secutus et Posidonium (cf. H. Diels Mus. Rhen. XXXIV 1879 p. 487 ss.), quamquam alio loco de elementorum quattuor sphaeris locutus 1, 149 ss. tacet de confinio igneo aeris et aetheris, quod illi voluerunt ab aere sursum versus usque ad Lunae sphaeram patere. — atque etiam Lachmannus *signa* v. 800 duodecim zodiaci signa intellegebat, fruitur vox significatione propria eadem qua hic 1, 699 *signa ferentem*. 3, 212 *mundum per signa volantem*. utrum autem eodem cum Lachmanno verba *regit* et *per signa* in unam locutionem

iungas a quâ *caelum* pendeat, an item ut v. 791 *socio per bella Nerone* ad nomen *Livi*, sic *socio per signa Tonante* ad *Augusti* nomen revoques, minus refert. modo id tene Manilium animis heroum galaxiam tribuentem Augustum cum Iove in zodiaco currentem facere. et simili imagine usus similibusque aliquatenus opinionibus etiam Claudianus infimae ille quidem aetatis poeta, sed imitator veterum planetam in zodiaco summo deprehensum, stellam salubrem comparat cum Augusto et quidem cum Honorio Augusto vivo, consulatum sextum ineunte contra consuetudinem in urbe ipsa (cf. Th. Birt Claud. ed. praef. p. LVI); quasi collocatum esse Claudianus clamat Honorium in sede propria *Signiferi aulae Latiae*, vocans *Signiferum* audaci translatione imperium Romanum (cf. Birt in ind. I p. 456): carm. 28, 18 ss. p. 236 B. *namque velut stellas Babylonia cura salubres optima tunc spondet mortalibus edere fata, caelicolae cum celsa tenent summoque feruntur cardine nec radios humili statione recondunt: haut aliter Latiae sublimis Signifer aulae imperii sidus propria cum sede locavit, auget spes Italas.* deinde confer cum opinione Manilio tribuenda Octaviani Augusti recepti post mortem stella Iovis Lucanum 1, 45 ss. vaticinantem Phoebi currum consensurum esse Neronem Caesarem vita defunctum. neque satis habet Manilius Augustum cum Tonante sociasse, Divum Iulium et Quirinum cum Augusto eandem altiozem regionem caeli habitantes ab eo cerni in *coetu* quem dicit obscurius, vult. nullus autem vereor ne sim in poeta mathematico interpres nimis mathematicus, quae sit imago illa Maniliana Augusti cernentis in *coetu* Divum Quirinumque, eam ad maximorum planetarum coetum, Iovis Martis Veneris (cf. Gemin. 17, 38 p. 194 M. Sen. Nat. 7, 12, 1 ss. Gell. 14, 1, 8 et 14. Chalcid. Comm. 87 p. 158 W.) spectare ratus. nimirum ultro Quirinus ad Martis stellam accedit (cf. Hor. carm. 3, 3, 15 s. Ov. Met. 14, 805 ss. fast. 2, 491 ss.), ad Veneris Divus Iulius quamvis Venere relicta cometa factus apud Ovidium (Met. 15, 843 ss.); de cometis Manilius quid sentiat vide 1, 876 ss. atque *coetum* per se dictum non invenis in litteris latinis nisi concursum stellarum, solis lunae significantem; cf. e. g. Chalcid. Comm. 87 *veniemus ad demonstrationem coetuum quos etiam alio nomine concursus solemus vocare.* Plin. Nat. 2, 46 (*lunam*) *in coitu non cerni.* denique ut munita sit ab omni dubitatione ratio, qua locutionem in *coetu* (ἐν συνόδῳ) absolute dictam probaverim, sphaerarum novem ordo deorsum descendentium Sole tenente locum medium inter Martem et Venerem astrologis plurimis notus a Manilio abest; nempe tam 1, 811 s. Sa-

*turni Iovis et Martis Solisque, sub illis Mercurius Venerem inter agit Lunamque volatus, quam 5, 6 s. Saturni Iovis et Martis Solisque, sub illis post Venerem et Maia natum te, Luna, vagantem versus subditivos esse certis causis evicit Bentleium (cf. ed. p. 58 s.) secutus Breiter (ed. II p. 33. Philol. LXIV 1905 p. 154 ss.). a Manilio planetae universi supra solem collocantur (cf. e. g. 5, 2 s.), ut in ipso purissimo aethere ferantur (Macrob. Somn. 1, 19, 9). igitur nil sane est, cur poetam in mundi regione altiore quam orbis lacteus sit Augustum cum Iove et Quirinum Divumque ponere aegre feras tamquam ordine sphaerarum turbato (cf. supra p. 240 s.). dein cave detrahas de poeticis, litigans cum Manilio Quirinum in deorum sede altiore locante v. 801 s., regibus Romanis praeter Tarquinium v. 778 (*Tarquinioque minus reges*) galaxiae tributis.*

concursum, discessionem, varii motus iidemque aeterni et constantes earum quinque stellarum quae falso vocentur errantes, stoicis, ut Cicero inter Romanos testis praeclarus est Nat. deor. 2, 51 ss., maxime admirabiles visi sunt exque illis potissimum divinam earum stellarum mentem et naturam intellegebant. quod si recte suspicatus sum Manilium divos Iulios astris redditos celebraturum regentes mundum per signa ratione et consilio, delapsus eo esse, ut etiam coetus nobilissimorum planetarum mentionem iniceret, certe tamen non nisi de mortuis consecratis Iuliis talia de caelesti eorum vita placent dicta. igitur condidit etiam primum librum Manilius sub Tiberio.

III

superest ut lustrentur loci qui male intellecti aliis auctores fuerunt carminis aevo Augusti tribuendi. quorum locorum gravissimus legitur 1, 384 ss., ubi sphaera qualis se visui offerat in terra habitabili australi a Manilio sumpta comparatur cum huius orbis:

cetera non cedunt, uno vincuntur in astro

385 *augustio, sidus nostro quod contigit orbi*

Caesar nunc terris post caelo maximus auctor.

quos versus ad Caesarem vivum spectare eorum ostendit tertius. pauca igitur dici debent de Caesaribus vivis nomine *sideris* auctis, simulque qua hoc loco ista adulatio cesserit poetae, nec non de adiectivo *augusti* in Tiberio adhibito. occasionem vero dedit Manilio a descriptione mundi ad Tiberium Caesarem deflectendi doctrina geographica, qua alter orbis terrarum sub

austris positus antictionum huic septentrionali respondeat ad amussim. qua de doctrina obiter monendum unde succurrerit Manilio adhuc incertum esse. Posidonius quidem numerum satis magnum neque definiendum certa ratione terrarum habitabilium Platonem (Phaed. 109 A ss.) sectatus videtur posuisse (cf. H. Berger Hist. doctr. geogr. Graec. Lps. 1903² p. 574 s.). nec vero Manilius ab iis philosophis stat qui omnem terram quadridam dividentes quattuor orbis oceano undique circumfusos fingebant (cf. e. g. Macrob. Somn. 2, 9, 1 ss.). cum Aristotele De caelo 2, 14 p. 298 a 9 ss. atque etiam cum Seneca Nat. 1 praef. 13 consentit in eo quod inter oras Hispaniae atque Indiae nullam οἰκουμένην alteram septentrionalem intercedere cogitat perioecorum. sed qua usus confidentia Manilius orbem antipodarum unicum tantummodo eumque numeris omnibus consimilem septentrionalis esse asserit v. 236 ss. et v. 377 ss., ea confidentia maxime decet hominem illum mathematicum Manilii auctorem eundem, a quo accepisse iudicandus est etiam v. 451 ss. binas ursas australes distinctas clausasque dracone australi in cardine mundi currentes septentrionali opposito. et insuper ubi verba facit de sole in orbe septentrionali occidente eodem temporis momento atque surgente apud antipodas v. 242 ss. *hanc ubi ad occasus nostros sol aspicit ortus, illic orta dies sopitas excitat urbes . . .*, facile tibi persuaseris poetam pendere a schola rhetorum locum communem tractantem, cf. Verg. Georg. 1, 250 s. *nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis, illic sera rubens accendit lumina Vesper.* cf. etiam Lucr. 1, 1065 ss. Sen. suas. 1, 1 ss. similia. igitur mathematicis et rhetoribus debet Manilius hoc loco sua, Posidonio non item. piget autem mentionem iniecissemus versuum 242 s. menda non sublata quae verbo *orta* post *ortus* prave iterato subesse visa est Bentleio aliis; ubi *prorsa* (*prsa*) legendum. nempe antipodis *ortus dextros* quos dicit v. 381 poeta spectantibus oritur sol tamquam in occidente, in oriente occidit; atque limites qui dirigebant in orientem, si Frontinus tibi testis locuples Grom. p. 29, 9 s. L. dicebant *prorsos* latini proprie. neque tibi displicebunt fortasse equi Solis in oceanum dati praecipites, nascituri in altero orbe *prorsi* antictionum (Varr. Gell. 16, 16, 4. Avian. fab. 3, 8). denique de syllaba *pro* per compendium scripta in archetypo Maniliano a librariis perverse intellecta cf. 2, 542 *per-tulit* codd.: *protulit* edd. — quo feliciter autem Manilius locum agitaverit tractatum etiam aliis de antipodis, eorum urbibus et vita penitus aequantibus hunc orbem septentrionalem, eo facilius

adduci poterat, ut exsultare in Caesaris praesentia gentes nullas nisi septentrionales adulatorem se gereret iactantem. simul provocatum vides ad sphaeras comparandas amborum orbium. ex hac igitur comparatione quod deinceps digressus est ad *sidus* praesens Tiberii, modo tu fac memor sis quiritium in salutandis Caesaribus ipsum *sideris* nomen inter acclamationes habentium, quod quidem novatum esse in Gaio de quo refert Suetonius Cal. 13 nequaquam credas. certe iam ab Horatio carm. 1, 12, 47 gens Iulia nuncupatur *Iulium sidus*. de Tiberio cf. Val. Max. 1 praef. Vell. 2, 99, 1 s., de Claudio Sen. cons. ad Pol. 13, 1 *sidus hoc . . . semper luceat*. Curt. 10, 9, 3. sic bellissime cessit Manilio homini de prosapia rhetorum transitus a sphaera ad Caesarem.

tamen ars qua struatur tota sententia v. 384 ss. praeter *sideris* vocem adhibita etiam *astri* voce in Tiberio vivo, ut perspicua fiat, porro necesse est inquirere *sideris* et *astri* vocabula quemadmodum usu inter se differant apud Latinos. et *sidus* quidem protinus usurpari translate de hominibus viventibus cum modo probatum sit, tum exemplis plurimis illustravit A. Kraemer 'De Man. qui fertur astronomicis' (Diss. Marp. 1890) p. 32/54, 'Ort und Zeit der Abfassung der Astronomica des Manilius' (Progr. Francof. ad M. 1904) p. 18 ss., 'De locis quibusdam . . . Manilii' . . . (Francof. ad M. 1906) p. 35 ss. 'Bericht über die Literatur zu Manilius 1902—1908' (Ann. Burs. CXXXIX 1908) p. 238 ss. quamquam quae congesta sunt a Kraemero exempla hominum viventium quasi ad *astra* sublatorum vel *sideris* appellatione auctorum ex variis variarum gentium litteris etiam recentissimis, ea haud scio an magis delectent similibus poetarum imaginibus sponte natis identidem per cursum saeculorum, quam usui sint philologis ad differentiam vocum *astri* et *sideris* enucleandam. ut synonymon pro *astro* v. 384 primum obvio adhiberi iterum v. 385 *sidus* coniecit Kraemer 'De locis quibusdam' . . . p. 12, vocis variatae causam in necessitate metri positam esse ratus simulque v. 385 *quod* pronomen relativum esse opinatus ac non coniunctionem causalem. sed cum *sidus* in plenam perfectamque translationem abierit i. q. *decus*, *columen* sim. valens non modo de hominibus usurpatum, de Caesaribus, de ducibus (Curt. 9, 6, 8. Amm. 21, 10, 2. Ov. Trist. 2, 167. Pont. 3, 3, 2. Damas. epigr. 26, 7), verum etiam de rebus cum corporeis tum incorporalibus (Ov. Met. 3, 420. 15, 385. Stat. Theb. 2, 159. Silv. 3, 4, 26. Carm. epigr. 1300, 8. cf. F. Vollmer ed. Stat. Silv. p. 424), *astrum* metaphorice non adhibetur vox doctorum

in lingua latina nisi pluraliter coniuncta cum verbis certis in phrasibus, cf. G. Dittmann Thes. l. l. II p. 972, 75 ss. 978, 5 ss. ubi autem Kraemer velut 'De Man. astron.' p. 48 Claud. carm. min. 30, 47 s. p. 321 B. *cum te Lucina beatis adderet astrorum radiis translate astra* i. q. *familia imperatoria* significare putat, ibi convincitur falli una cum Th. Birtio ed. Claud. praef. p. CXXVIII a Dittmanno Thes. p. 975, 13 ss.; quo loco Claudianus de puella loquitur infante modo genita suum thema habente. item Stat. Silv. 1, 1, 55 (*equus Domitiani*) *uni serviet astro* Kraemerum contententem ibid. p. 49 pro *Domitiano* vivo dici translate *astrum* fugit imago in qua versatur Statius Castorum, Geminorum, memor astrorum et Cyllari equi eorum, cf. Dittmann p. 972, 57 s. atque diversum valere vel in poetarum sermone *astra* et *sidera* commodissime intellegitur etiam ex Mart. 9, 101, 21 s., ubi Domitianum Martialis parentem et agnatos consecrantem celebrat verbis *dedit . . . astra suis, caelo sidera*. sed nihil attinet fusius persequi *astrum* ad vivos spectans homines non nisi in imagine accuratius adumbrata latinis acceptum, utpote cuius vocis historia Dittmanni tractatu egregie expedita sit. mecum ab imagine senties v. 384 ss. Manilium sollerter progressum esse ad vocem translata. — nec non *augusti* epitheton *as' o* additum, quo de ad extremum loquendum est, in hoc orationis ductu suum locum tuetur, cf. epitheta *astrorum* Stat. Theb. 12, 48 *dulcibus*. Avien. Arat. 1515 *pulchro*. Manil. 3, 551 *laetius*. cum istis autem certare dedignor, si quos *Augusti* nomen aut adiectivum offendant in Tiberio adhibitum; de nomine adeant Mommsenum De iure publ. Rom. II³ p. 773, de epitheto potissimum Iuvenalem Sat. 10, 93 s. *principis augusta Caprearum in rupe sedentis cum grege Chaldaeo*. quamquam hic L. Friedlaender ed. Iuv. p. 464 recepit *angusto* parte codicum traditum, lumen sententiae pessum dedit miserime. cf. etiam Manil. 1, 8 *qui regis augustis parentem legibus orbem*. — denique v. 386 de voce *auctoris* iuncta cum dativo cf. Th. Boegel Thes. l. l. II p. 1198, 38 ss.

III

etiam altero loco Lachmanno obsistitur, negant versus quibus clauditur liber primus 922 ss. ad Tiberium referri posse, ubi protinus a memoratis bellis Actiaco et Siciliensi poeta principatum laudat, qui sedaverit arma civilia:

*sed satis hoc fatis fuerit. iam bella quiescant
atque adamanteis Discordia vincta catenis*

aeternos habeat frenos in carcere clausa.

925 *sit pater invictus patriae; sit Roma sub illo;*

cumque deum caelo dederit, non quaerat in orbe.

quibus versibus una cum iis qui proxime praecedunt diligentius inspectis Manilius id potissimum agere videtur, ut liberae rei publicae motibus civilibus dirutae opponat principatum concordiae vindicem. ut ipsius Octaviani facta ex ordine narret, minus videtur curare, siquidem demum post bellum Actiacum (cf. v. 914 *restabant* . . .) Siciliense profert (cf. v. 919 *restabant* . . .) consulibus multis gestum ante. moneo autem etiam Lucanum in prooemio carminis sui 1, 42 ss. praepostero ordine bellum Actiacum atque Siciliense percensere, eundemque Lucanum similiter atque Manilium protinus ab armis civilibus ad Caesarem tunc temporis principem transitum facere efferentem laudibus aevum illius prae libera re publica seditionibus agitata, cf. v. 44 ss. *multum Roma tamen debet civilibus armis, quod tibi (Neroni) res acta est.* nec vero ullo iure a Manilio postulaveris, ut ideo quia concordiae vindicem principatum celebraturus sit, in unum utique Octavianum incumbat. praesertim quod Octaviano Augusto parenti Tiberius natus et heres eius nulla seditione intercedente successit, facillime sub unum conspectum venire poterant vatis imperia Augustorum. accedit quod Octaviano Augusto etiam tunc in terris degente Tiberius concordiae gravissimus auctor factus est aedem Concordiae dedicans; cf. Suet. Tib. 20, praeterea Roscher, Lex. myth. I p. 916 ss. sic quadrant versus 923 s. Discordiae quidem precantes diras ad Tiberium praecipue. porro versum ultimum in Octaviano recens complorato maxime scriptum videri Lachmannus perspexit l. l. p. 44; cuius manes ne iratos habeam, non tango amplius aut hunc versum aut antecedentem 925 *patris patriae* nomine Tiberium invocantem.

neque omnino eo inclinatus animus, ut quaecumque post Lachmannum de aetate Manilii disputata sunt parum probabilia, ea omnia referam, pro virili parte refellam. immo quae supplenda visa erant relegenti mihi commentationem Lachmanni praesertim post codicem Matritensem Manilii relectum et recte ponderatum, in supplendis versatus sum; subsisto in fine eodem quo substitit ille. ac ne ratus quidem sum multum adeo interesse ad artem et indolem carminis Maniliani probe censendas, utrum paucis annis ante excessum divi Augusti poeta scripsisse inveniretur, an post illum. sed Tiberius Caesar et grex eius Chaldaeus observandi mihi sunt, qui quo nomine in historia litterarum anti-

quarum, si quid viderim, dicendi sint paucis narrandum est. quorum Thrasullus quem Rhodi iam circa Tiberium exulantem fuisse Tacitus Ann. 6, 20 ss. refert, in Platone operam insumpsit, dialogorum eius per tetralogias novem a se dispositorum rumore augetur, qui destitutus non fuit acumine Anterastas a Platone abiudicans, cf. Diog. Laert. 9, 37. atque etiam de Democriti, philosophi physici memoria locutus Diogenes Thrasulli mentionem inicit 9, 45. accedit Manilius carmine astrologico Tiberium assectatus, in quo quamvis in homine Romano et rhetore, ipso quoque cum contrectaverit praeter disciplinam Chaldaeicam etiam alias res astrologicas, item geographicas nec non morales, dubito an cognoscantur studia graviora philosophorum quibus Tiberius favebat. veluti doctrinam de antictionis et de cardine caeli australi ex enchiridio quodam astrologico Manilius petivisse supra p. 243 nobis visus est. atque enchiridion aliquod astrologicum in aliis quoque rebus atque mathematicis pro fonte primario Manilii habendum esse nuper coniecit etiam M. Pohlenz *Hebdom. philol. Berol. XXII* (1902) col. 106 ss., cum pugnaret contra E. Muellerum 'De Posidonio Manilii auctore' disserentem (1901), contemplatus denuo placita Posidonii de orbe lacteo an integra recurrerent apud Manilium 1, 684 ss. ubi quod Posidonius ipse probaverit dogma post enarrata alia sib. parum arridentia dogmata de orbe lacteo (cf. *Macrob. Somn. 1, 15, 7*), id quidem apud Manilium desiderari aegre fert. quod si minus veri simile esse Pohlenz quoque iudicat in manibus habuisse Manilium Posidonii libros ipsos materia scribendi petita ex variis operibus huius philosophi perquisitis curiosius, vide ne uno obtutu deprehendas simul Manilii auctores ab eo evolutos et in carmen versos, simul philosophos Chaldaeos quales circa Tiberium fuerint. Thrasullos licebit opinari, quamvis Thrasulli caput tibi sponte condonem, homines matheseos peritissimos eosdemque probatos in litteris ultro suppeditasse Manilio missuro carmen mathematicum ad Tiberium materiam scribendi. nec metuo ne mihi de enchiridio astrologico fonte Maniliano astipulatus neget idem de Thrasullis, aut obicias Aegypti atque Alexandriae, ubi floruerint praecipue studia astrologica, quaerendos potius esse Manilii auctores. nimirum mathematici, quos iusto iure pro auctoribus poetae habiturus sis, postulandum est, ut pendeant a stoicorum philosophorum schola Rhodia. nam ut obstrepam una cum Pohlenzio iis qui ex ipsis Posidonii libris sedulo perscrutatis Manilium hausisse iacent, non tamen fontem rerum non video rivulos consecutus. de Posi-

donio igitur philosopho stoico et Rhodio Manilii fonte cum certe summatis constet (cf. H. Diels Doxogr. Graec. p. 196, 3. Mus. Rhen. XXXIV 1879 p. 487 ss., alios), revertor ad Thrasullos in ipsa Rhodo congregatos circa Tiberium, civitatem cum Posidonio aut saltem hospitium commune habentes. item philosophi Chaldaei studiis iunguntur cum Timaei Platonici interprete nobilissimo ¹.

Kiliae.

Ernestus Bickel.

¹ De Posidonio Manilii auctore multum novissimis annis actum est, raro factum, ut archetypo Manilii mendoso peteretur medela ex Posidonii doctrina. veluti quae de cometis et de ignibus caelestibus 1, 813 ss. leguntur, ea saepius ad verbum consentire cum Seneca in Nat. Quaest. pendente a Posidonio nota res est. quid mirum, si ex Annaeo lucem afferamus versibus 842 ss. qui corrupti circumferuntur codicibus sic traditi: *quin etiam tumidis exaequat dolia flammis procere distenta uteros, partosque* (sic vel *partasque* codd.) *capellas mentitur parvos ignis glomeratur* (sic ML: *glomeratus* G) *in orbis hirta figurantis tremulo sub lumine menta, lampadas et fissas ramosos fundit in ignes.* quibus in versibus nomen desideratur ad quod verba v. 842 *exaequat* 844 *mentitur* 846 *fundit* referas. nam si interpolati libri G lectionem quae est *ignis glomeratus* non dedignaris arreptam iungere cum *exaequat mentitur fundit*, vide ne sententia Manilio prorsus indigna evadat *ignis . . . fundit in ignes.* praeterea labes in voce v. 843 *partos* vel *partas* aperta. servata autem scriptio *glomeratur* codicum ML facillime sumpseris totam sententiam *parvos ignis glomeratur in orbis hirta figurantis tremulo sub lumine menta* per parenthesis a Manilio positam esse sine particula reliquae orationi insertam. cuius generis parenthesis Manilius identidem praebet ut 2, 405. 424 ss. 826 ss. 3, 160 ss. 4, 75 s. 227 s. deinde ex ipsa depravata lectione *purtos* id nomen elicere temptabimus, quod ad verba illa *exaequat mentitur fundit* ἀπὸ κοινοῦ collocatum sit accessurum. nimirum rem quae modo quasi *dolium*, modo quasi *capella* aut *lampada fissa* in caelo se offert, a latinis proprie *ardorem* vocari Seneca prodit Nat. Quaest. 1, 14, 1 *ardores . . . horum plura genera . . . pithiae . . .* (cf. etiam 1, 1, 5. 1, 15, 1). pro *partos* igitur *ardor* substituendum.